DE NONNULLIS MAMMALIUM DOMESTICORUM MORBIS, HOMINI INIMICIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE X. MENS. AUGUSTI A. MDCCCXXXVIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

EPHRAIMUS WALD

POMERANUS.

OPPONENTIBUS:

E. LEFSON, MED. ET CHIR. DR.
L. BREITZMANN, MED. ET CHIR. DR.
M. MARCUS, MED. ET CHIR. DR.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

PARENTIBUS

OPTIMIS DILECTISSIMIS

AD CINERES USQUE COLENDIS

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIA GRATAQUE MENTE

D. D. D.

FILIUS.

INTRODUCTIO.

Non solum necessitatibus, quae in dies cultu increscente augebantur, et variorum generum animalium utilitatem hominem docebant, sed etiam voluptatum libidinumque studio impulsus, homo quaedam animalia a consueta vivendi ratione desuefecit, propiusque sibi accommodavit. Haecce animalia ex illa quidem causa domestica dicimus, quod cognomen animalia e diversissimis generibus complecti potest, nec ista animalia communi quodam vel interna necessariaque affinitate conjuncta sint, nec historiae naturalis legibus uni eidemque ordini adnumerentur necesse est, quibus id tantum commune et ea inter se affinitas fortuita est, ut homini propius ad quaedam consilia inserviant. Inde consociatio inter homines et nonnulla animalia orta est, quae quidem maximam utilitatem tulit, quae tamen damna etiam et detrimenta haud vilipendenda induxit. Sunt enim cuique animali a natura certae quaedam consuetudines, certa negotia et certa studia cupiditatesque insita, quae quidem impune nec abjicere neque derelinquere potest, quoniam intima ejus indoles, minimaque structurae et organisationis distinctio non fortuita quaedam, neque res parvi momenti, sed potius strictissime maximaque cum necessitate illis consuetudinibus, ne-

gotiis et studiis adaptata est. Quae tamen animalia ut hominibus melius se accommodarent, et utilia idoneaque fierent voluptatum et necessitatum instrumenta, illas vitae conditiones et propensiones, a natura iis insitas, plus minusve abjicerent, formamque aliam, priori fere dissimilem, adsciscerent necesse fuit. Inde discrepantia exorta est inter structuram anatomicam et vivendi rationem, quae quidem ratio et causa et conditio ejus structurae fuit, et quamdiu etiam illa inter homines et animalia quaedam communitas et cosociatio exstaret, et quemadmodum jam propagatione animalium in illa consociatione eorum vivendi ratio, a natura iis indita, novis negotiis, studiis et cupiditatibus plus minus sese accommodaret hucusque nondum illa discrepantia prorsus tolli potuit. Nam cum hoc vel illud munus, animali cuidam ab homine mandatum, neque structurae anatomicae, nec ejus indoli physiologicae adaptatum sit, vel cum quaedam indoles anatomica, pro certis tantum muneribus a natura creata, ab illis muneribus arceatur; in hoc quidem dissidio vis sita est, quam haec vel illa singularitas atmosphaerica aut climatica in ea animalia exserit, et in hac dissidentia causa est ponenda multorum malorum, quibuscum iis animalibus est dimicandum, quibus ne tacta quidem forent si juxta naturae leges vivere ejusque consilia sequi potuissent.

Et morbos, quorum nobis ratio est habenda, non inter eos inveniemus, quorum in ipso individuo causa est collocanda (atmosphaericarum et climaticarum virium ratione omissa) id est, inter morbos evolutionis, sed tantummodo inter panzootias, s. morbos panzooticos et morbos sporadicos atque intercurrentes. Illi quidem

(m. panzootici) aut ipso loco panzootice oriuntur, aut contagiis quibusdam ex aliis regionibus ad nostram usque terram provehuntur; hi sunt morbi panzootici interni, vel, uno verbo, „panzootiae," illi morbi panzootici externi, vel, uno verbo „contagiones." Panzootiae aut sunt, epizootiae, aut enzootiae, aut miasmaticae, et enzootiae, aut directe e causis atmosphaericis, aut indirecte ex iis per alimentarias quidem causas originem ducentes, hancce ob rem dividuntur in morbos epizooticos atmosphaericos et alimentarios (Fütterungs- und Witterungs-Krankheiten). At panzootiae aut per contagium, quod in quodam morbi stadio gignunt, divulgari possunt, aut non possunt, unde vel sunt: panzootiae contagiosae vel purae; eodem modo morbi sporadici aut sunt contagiosi, aut puri.. Quorum contagiorum nonnulla et in homines vim infestam exserere possunt. Inter morbos itaque panzooticos contagiosos et sporadicos contagiosos morbi, qui ad nostri opusculi forum pertinent, quaerendi nobis sunt.

Quum propositum mihi sit, eos tantum mammalium domesticorum morbos tractare, qui rarius in homines transferantur, neque anthracis, nec rabiei caninae, neque variolarum vaccinarum etc. mentio hic injicietur, quorum morborum vis hominibus inimica extra omnem dubitationem jam posita est, sed horum tantum trium morborum:

1. Scabiei.
2. Mallei humidi.
3. Mallei farciminosi.

Eo quidem modo rem absolvere conabor, ut primum cujusque horum morborum contagium et rationem, qua in homines transferatur, tum morbi ipsius primi-

genii symptomata in animali et deinde, quae in homine morbi translati evadant signa, describam.

I. DE SCABIE. (Räude.)

Libri conferendi:

Walz. Natur und Behandlung der Schaafräude.
Veith. Handbuch der Veterinärkunde.
Günzel. Räude des Rindviehs.
Körber. Ueber die Säuchen der Hausthiere.
Greve. Erfahrungen und Beobachtungen über Krankheiten der Hausthiere und Menschen.

A. Contagium et ratio inficiendi.

Morbus primigenius in omnibus animalibus domesticis oritur, praecipue autem in equo, ove et cane, et in nonnullis, ut in ove et cane sub duabus formis: scabiei siccae et ulcerosae. Hic morbus scabiei hominum respondere videtur. Variae sunt causae, quae huncce morbum procreare possunt, et partim eaedem, quae in homine scabiem et pruriginem efficere solent. Sic scabiei e fame coortae (Hungerräude) et scabiei stabulariae [?] (Stallräude) mentio fit, sub qua utraque forma scabies sicca prodit, et haec quidem eam significat, quae e manco et depravato cibo et propensione inde nata ad tabem et cachexiam proficiscitur, illa vero eam, quae partim e diaphoresi, propter diuturnam immunditiem, non debito modo ad aequabilitatem inter medium et animal servandum administrata, originem ducit, partim incitamento, quod secreta, materiebus corrosivis praedita, in cutem exserunt, sustentatur. Quae omnes causae siccam procreant scabiem.

Ulcerosa scabies (feuchte Räude), quae vernacule etiam vocatur „Regenfäule," praecipue in ovibus occurrit coelo pluvio expositis, partim ex hac causa tempestiva, partim alimentis, pluvia persistente depravatis, exorta. Ambo haec scabiei genera re vera haud distincta sunt, nisi ea re, ut sicca sicca tempestate et ulcecosa pluvia saepius oriatur; ceterum haec ulcerosa major scabiei gradus esse videtur. Hertwig*) narrat, praeter equi scabiem, canis etiam ac felis scabiem contagium, in hominem efficax, procreare posse. Itaque etiam horum animalium scabies ad nostram quaestionem pertinet.

Hujus morbi contagium fixum est, ejusque vehiculum liquor lymphaticus, qui vesiculoso cutis morbo inest. Ut in hominis scabie ac prurigine, sic etiam in hoc animalium domesticorum morbo insectum invenitur: Acarus L., Sarcoptes Latreille, quod ex vesicularum lympha nutrimentum petit. Sed et hic quaeritur, num haec insecta causa an effectus sint scabiei. Multi acaro soli inficiendi vim esse contendunt, et cum scabiei acarus in variis animalium generibus distinctiones quasdam offerat, unde haud sine ratione de acaro scabiei ovili, bovili, equino etc. disseritur, in hac sola re causam posuerunt singularis indolis contagiorum, qua multa eorum ad idem genus, nonnulla etiam ad alia quaedam propagari possint. Walz**) contendit et argumentis probare studet, acaris solis, haud lymphae scabiosae, morbum originem debere. Sententia, acarum scabiem procreare, eodem modo absurda mihi vi-

*) Medizinische Zeitung für Heilkunde in Preussen 3r. Jahrg.
**) Ueber die Schaafräude Thl. I. S. 6.

detur, quo quis putredinis causam in musca cadaverina et phthiriasis in porrigine posuerit.

Quidquid demum sit, contagium, si morbus, causis dictis vel directe, vel, acaro prius creato, indirecte primigenius ortus est, semper liquore vesicularum lymphatico continetur.

Contagium, vivum et fixum, exigit, ut substantialiter per liquidum vehiculum seu portatorem (Zwischenträger) transferatur. Hic vero portator est acarus. Ut enim insecta quaedam in nonnullis plantis, quarum structura aliam coeundi facultatem haud admittit, pollen ex antheris in stigmata transferunt, sic etiam acarus, lympha contagiosa irrigatus, hoc contagium ab individuo ad individuum transfert.

Contagium, in hominem translatum, brevi tempore agit et mox cutis morbum gignit, quod in facie*) pariter atque in partibus pilosis**) et in omnibus reliquis corporis partibus apparere potest. Secundum nonnullos auctores scabies morbus est hereditarius, quae tamen res adhuc in suspenso haeret. Greve***) in morbo, cum homine ab animali communicato, contagium reproduci et sicuti scabiei primigeniae lympha vesicularum contineri contendit, quam tamen sententiam nullo argumento probat, etsi magni momenti in doctrina fixorum animalium contagiorum esset. Sed etiam exemplum ab Hertwig****) prolatum invenio, stabularium, nomine Mausch, equo scabioso infectum,

*) Greve Erfahrungen und Beobachtungen über die Krankheiten der Hausthiere und Menschen. Thl. I.

**) Hertwig. Med. Zeitg. 3r. Jahrg.

***) ibidem.

****) ibidem.

hunce morbum cum uxore communicasse. Prima infectio iteratam infectionem non prohibet.

B. Scabiei symptomata.

a. Animalium.

Jam supra memoratum est, sub duabus formis apparere scabiem; quae ambae formae eodem modo se habent, quo hominum propria scabies, quae, etiamsi plerumque vesiculosa (ulcerosa sc.), interdum tamen papulosa est (sc. sicca) et tum scabies papuliformis*) vocatur. Etsi in omnibus animalibus domesticis scabies primigenia oriri potest, tamen de equi, canis atque felis sola scabie compertum habemus, contagium posse procreare ad homines transferendum. De his igitur solis hic sermo erit.

1. Scabies equorum.

Scabies modo sicca modo ulcerosa apparet in equis et primo quidem in corporis partibus, quae crinibus large sunt obtectae, ut in juba, cauda, collo etc. Initio et inter primum morbi stadium animal nihil mutatur, ut jam satis progressus sit morbus, priusquam cognoscatur. Tunc demum animalia tergendo, terendo et scabendo, se irritatam cutem sentire ostendunt; paulatim partium aegrotarum capilli defluunt, ut jām e longinquo partes scabiosae cognosci possint. Quae si investigantur, cutis aut tumida, illita et sordida invenitur, vesiculis, escharis, crustis et ulcusculis obtecta, aut sicca, farinoso quodam pulvere aut particulis epidermidis furfuraceis offusa. In tumidis illis partibus acarus equi scabiei facile cerni potest. Paulatim per totum corpus morbus diffunditur, ita ut animal, nisi mox medicamentis devincatur morbus, brevi tempore

*) Bateman. Krankheiten der Haut u. s. w.

prorsus calvescat. Morbo magis etiam progresso, febricula interdum vespertina accedit, postea cutis crassescit, finditur et inde munere fungi non amplius potest. Qua vitae tam necessaria functione laesa totum corpus mox macrescit, appetentia quidem integra, quo anasarca, malleus farciminosus, cachexia lymphatica aliaeque hujuscemodi dyscrasiae accedunt, quibus paulatim animal succumbit, etiamsi morbus per se, latoque auxilio tempestivo, bonam prognosin admittat.

2. Scabies canum.

Et in his sub utraque forma morbus apparere potest, et eadem symptomata, quae in equis, promit, ea tamen differentia, ut canum scabies sicca primum in scapulis et dorso ad caudam usque emergat, praeterea ut in iis haec scabiei forma tardiorem etiam decursum sortiri possit et plerumque nonnisi multo tempore elapso, maciem efficiat; apte autem curata brevi decedat. Ulcerosa scabies praecipue caudam, dorsum, interdum etiam collum et caput corripit, eademque quae ulcerosa equorum scabies, profert symptomata; et canes hac scabiei forma laborantes, ubi magis magisque progreditur morbus, integra appetentia macrescunt.

3. Scabies felium.

Haec animalia sicca plerumque scabiei forma laborant, quae caput, collum dorsumque corripit eademque, quae equorum sicca scabies, affert symptomata.

b. Hominum.

Ex quocunque horum trium animalium genere contagium deferatur, semper eodem modo agit. Paulo post insitionem pruritum quendam sentiunt homines, qui intra nonnullos dies par totum corpus imo per pi-

losas partes diffunditur. In quibus locis primum cutis particula paululum intumescit, cui vesicula insedit, hominnm primigeniae scabiei haud dissimilis. Nec tamen hic morbus tam gravis est et pertinax, quam primigenia illa scabies; aptis quidem medicaminibus brevissimo tempore, imo nullo medicamento adhibito, longius nempe post tempus, intra 6 — 8 hebdomades, sponte cedit.*)

c. Comparatio scabiei animalium primigeniae cum hominis scabie communicata.

Animalinm scabie cum hominum comparata, facile intelligimus, hanc esse morbum ex longiore tempore in corpore praeparatum, qui jam formatus intus sustinetur, unde morbus tanta pertinacia insignis, mortem animalibus inducere potest; illa tamen causa tantum externa, contagio quidem usa, non intus, i. e., causa praedisponente interna, sustinetur, unde morbus tam facile tamque celeriter aptis medicaminibus, imo nullo adhibito medicamine, sponte, etsi longius post tempus, prorsus cedit; contra illa, natura atque apta curatione neglecta, semper animalis perniciem molitur.

II. DE MALLEO HUMIDO.

s. Ozaena maligna contigiosa (Rotz).

Libri conferendi:

Viborg. Ueber Rotz, Wurm und Kropf der Pferde.

Wolstein. Bemerkungen über das Entstehen des Rotzes bei Pferden.

Tscheulin. Ueber Rotz der Pferde.

Veith. Handbuch der Veterinaerkunde.

---

*) Greve ibid.

Körber. Ueber die Seuchen der Hausthiere.
Rohlwess. Das Ganze der Thierheilkunde.

A. Morbi contagium et ratio inficiendi.

Huic morbo praecipue a Gallis inficiendi facultas prorsus derogata est, et omnibus exemplis, quae perniciosam hujus morbi vim in humanum corpus luce clarius argumentabantur, neglectis, tamen Delaguette, Godine, Dupuy, Chabert etc. usque ad nostrum tempus in illa sententia substiterunt. Nec tamen solum hujus morbi vis animalibus ejusdèm generis, sed etiam hominibus infesta ab Hertwig et Wolff*) declarata est. Hic morbus sporadicus semper apparet, et primigenius in solo genere equo oriri potest. Plerumque equi humili genere, laxo corpore, ossibus informibus et vastis, crinibus longis et crassis, grandiores denique et minores natu, tenui valetudine usi petuntur. Quo major morbi gradus, eo perniciosius contagium esse solet, eoque citius agit. Primigenius equorum malleus humidus semper morbus est secundarius, i. e. semper e morbo praegresso debilitante, dyscrasia denique, oritur, ut e scabie chronica et variola equina inveterata, item ex ulceribus phagedaenicis, quorum ichor haud satis emittitur et inde resorptioni committitur, insuper e morbis membranarum mucosarum, singulatim viarum aëriferarum, sin etiam systema lymphaticum morbi particeps est, praecipue ex adenitide scrophulosa [Druse], cujus maximum teste Rohlwess exhibet gradum, et quae, ut idem Rohlwess tradit, sola praeter contagium hunc morbum efficere potest. Insuper saepius ad malleum farciminosum accedit. Hi

*) Med. Zeit. 3. und 4. Jahrgang.

omnes morbi malleum humidum efficere possunt, si aliis causis, e. g. immunditie, malo nutrimento, laboribus, fame etc. corpus praeparatum est. Secundum Rohlwess chylus depravatus sanguificatus materiei scrophulosae remanenti vim corrosivam tribuit, refrigerium quoque, ut idem autor contendit, materiem scrophulosam [Kropfmaterie], donec malleoidea fiat, in corpore retinere potest. Contra malleus humidus communicatus semper protopathicus est et soli contagio ortum debet, quod in ipso foetu procreando jam vim exercere potest; nam omnes fere equi, parentibus malleo affectis editi, itidem serius ocius eodem corripiuntur. Contagium, quod inter morbum in equo procreatur, fixum est, liquidisque continetur vehiculis, qualia sunt, secundum Viborg praecipue materies e naribus effluens et praeter hanc saliva, lacrymae, sanguis [Viborg primigenium malleum in sanguine ortum dicit, quia materie malleoidea in equorum venas infusa, malleum humidum gigni viderit], sudor et urina. Quae omnia vehicula, contagio impraegnata variis modis transferri possunt, ut vestibus, pabulo etc. At facillime contagium deleri potest, aut vehiculo aëri exposito, aut suffitui gasorum antisepticorum subjecto. Sic Viborg in tractatu suo de malleo contendit, mallei materiem exsiccatum jam inficiendi vi carere, et res infectas aqua tepida vel sapone ablutas inficiendi vim perdere, quod tamen Rohlwess*) negat. Hominum per hoc contagium infectio foris efficitur et admodo quidem contagii vehiculo ad tales corporis partes, quae vulneratione aut epidermide prorsus privatae aut tenerrima epider-

*) Rohlw. Das Ganze der Thierhlk. Th. 2. S. 35.

mide obductae sunt, tanquam insitione; rarius integris corporis partibus contagium excipitur. Hertwig contagium mallei humidi parum diffundi aëreque dissolvi posse contendit, quia tactu quoque non directo, raro saltem, et homines et ea animalia id inficere viderit, et in stabulis quidem haud ventilatis; contagium ibi per aërem foetidum exspiratum dimanare eoque auferri censet.

Jam memoratum est, in certa tantum animalia contagium vim exserere nocivam, in ea quidem, quae generi equo adnumerantur, ut in equum, asinum ac mulum et praeter haec animalia etiam in hominem. Omnibus ceteris animalibus tantum ut materies corrodens contagium nocere posse videtur, etsi in schola veterinaria Lugdunensi ovis materie equi malleoidea infusa, malleo corripiebatur, et celeberrimo Hertwig contigit, multis experimentis frustra factis, ut in capro morbum malleo humido similem procrearet. Nec videtur hominum infectio res esse vulgaris, alioquin innumera exstarent infectionis exempla, plerumque qui corpora animalium incidunt et aperiunt, visceraque et intestina perscrutantur, praecipue manibus vulneratis, insuper qui equos aegrotos curant, simulatque in stabulis morantur, quibusque equi malleo laborantes vehementer exspirantes materiem malleoideam contagiosam vi quadam in faciem inflant, itaque partes, ut labia et oculos polluunt, morbum sibi inferunt, unde saepissime veterinarios, stabulorumque custodes hocce morbo laborantes videmus. Attamen permirabile est, quod tam saepe contagium sine ullo effectu in corpore remanet, et quod hoc contagium singularem dispositionem postulat. Num autem talis dispositionis, ut ita dicam,

specificae defectus contagii efficaciam tam saepe irritam reddat, etsi in partes vulneratas corporis humani deferatur, an tam celeriter deleri possit, adhuc in suspenso est. Quantum temporis infectionem ab invasione sejungat, haud certum est et partim e contagii vi, quae, ut jam dictum, varia est pro vario morbi gradu, partim ex infectionis ratione peudere videtur. Contagium, morbo plane evoluto procreatum, celerius, quam quod morbus in stadio incrementi procreavit, agit, et infectio insitione instituta multo gravius nocet, quam quae solo tactu effecta est. In universum stadium prodromorum intra nonnullos dies aut nonnullas hebdomades absolvitur. Quinto, quod Hertwig*) nobis profert, exemplo morbus tertia post inflectionem hebdomade elapsa incepit, in sexto duobus jam diebus post infectionem. Contagii effectus primus in loco insitionis animadvertitur et vasa lymphatica resorptionis munere fungentia morbum in semetipsa recipiunt; nam in his ipsis sedem habet, eorum decursum sequitur morbus, cujus omnia denique participia fiunt, quae ad ramum lymphaticum, qui singulis in casibus resorptionis munere functus est, pertineant, ut glandulae etc. In vasorum lymphaticorum systema itaque malleus humidus spectat, vimque exserit in idem organum, cui infectionem debet. Quod systema organicum cum tantopere ad vitam pertineat, facile intelligi potest, quanti morbus sit momenti et qualis homini infecto auguranda sit prognosis. Nullo exemplo constat, contagium denuo homine reproduci. Haud dubie homo iterum infici potest. Sub finem mallei humidi fere semper cachexia lymphatica farciminosa ad eum accedit.

*) Med. Zeit. eth. 3. Jahrgang.

B. Mallei humidi symptomata.

a. Equorum.

Verissima hujus morbi naturae notio animo concipitur, cum ex adenitide scrophulosa [Druse] ortus cogitetur. Nec dubium exstat, quin primigenius malleus, etsi non cum Rohlwessio diei potest, semper malleum scrophulam equinam sequi, saepissime ex illa oriatur. Per hanc enim scrophulam equinam, cum ejus ortum persequamur, facile est intellectu, membranae mucosae narium, ejusque quae illam sequatur, irritatione sympathice et quae vasa lymphatica, quaeque glandulae lymphaticae huic telae mucosae parti competant affici, ut glandulae mesaraicae irritata membrana mucosa tractus intestinalis, aut glandulae inguinales [bubones] irritatione membranae mucosae urethrae. Ad quam irritationem si ea quoque accedit, cui per munus suum, resorptionem nimirum liquoris, aegrota narium membrana mucosa secreti, chronica adenitide alienati, materiei haud indifferentis, exposita est; talibus materies in sanguinem ingestis dyscrasia et cachexia, et eo, quod hoc munere continuo haec systematis lymphatici pars, jam antehac irritata, et inde locum minoris resistentiae offerens, fungitur, hujus cachexiae directio et in haec ipsa organa reactio intelligi potest.

Sed tamen de hujus morbi causa proxima variorum autorum variae exstant sententiae:

Waldinger transitus scrophulae equinae in malleum humidum causam proximam in certis quibusdam atmosphaericis conditionibus ponit, quae aegrotam narium membranam mucosam ejusque secretum, illa quidem atmosphaera oxydatum, vim oxygenatam pro-

ereet, itaque vasis lymphaticis resorberi nequeat, et inde stagnationes in glandulis lymphaticis provocet.

Quae tamen sententia si vera exstaret, malleus humidus morbus esset mere idiopathicus, qualis tamen certe non est, sed procul omni dubio localia illa mallei humidi symptomata non directe vim foris invectam, nec irritationem, secreti vi corrodente in vasis lymphaticis provocatam sequuntur, sed tantum reactio et symptoma dyscrasiae per totum organismum diffusae.

Alii, ut Brödet, carcinoma malleum judicant. Proxime nempe haec nobis adducta est sententia, quippe qui credere possimus, glandulas lymphaticas, chronico morbo membranae organorum respirationis mucosae sympathice irritatas, scirrhosas tandem fieri, inque aperta ulcera carcinomatosa transire. Nec tamen unquam glandulae lymphaticae in ulcera mutantur, nec unquam eae ichorem malleoideum secernunt, sed illa [ulcera], ut videbimus, e tuberculis per diversas membranae partes mucosae depositis conformantur.

Veith quidem censet, equorum malleum morbum esse hominum scrophulosi analogum; — nec tamen scrophulosis semper naribus coërcetur et plerumque morbus est congenitus, qualis raro tantum est malleus; ceterum malleus contagiosus est, minime hominum scrophulosis.

Dilucida quidem mihi est sententia, cujus supra mentionem feci, nonnullis enim repugnantiis, quae in reliquarum multis insunt, carere videtur.

Haec inde morbi definitio prodit:

Malleus humidus est morbus equorum dyscraticus ad vasa lymphatica, glandulasque lymphaticas, nec minus ad superiorem

partem systematis membranae mucosae organorum respirationis, rejectus, et primum formam tumorum tuberculosorum, deinde ulcerum, specificum quendam ichorem secernentium, praebens.

Quoniam saepissime e scrophula equina oritur malleus hum. et haec describatur necesse est, quod brevibus absolvam

Scrofula equina.

Ut in hominibus, ita etiam in animalibus refrigerium saepius causa est irritationis inflammatoriae organorum respirationis, quae irritatio aeque ac hominum sub mitioribus acutioribusque formis apparere potest. Quarum mitissima est: Coryza [Strengel], levis quidem irritatio membranae mucosae narium et quae illi adhaeret, sinuum frontalium et maxillarium cum febre miti et vix animadvertenda; hominum catarrho nasali haud dissimilis. Affectione altius ad pharyngis laryngisque tractum mucosum progressa, gravior fit morbus [angina catarrhalis] febrisque comitans majorem nanciscitur gradum. Morbo eo usque progresso, et vasa lymphatica illi membranae mucosae propria morbi participia fiunt, quorum glandulae lymphaticae sympathice intumescunt et abhinc morbus vim ejusdem generis animalibus nocivam adeptus est et dicitur Adenitis, s. Scrophula equina. Qui morbus proprius et definitus est et inde diversis gradibus utitur, quorum maximus malleus humidus est. Levissimus adenitidis gradus, hac membranae mucosae pharyngis et laryngis irritatione, qua vasa quoque lymphatica irretiuntur, et intumescentia denique glan-

dularum, illuc pertinentium constituitur, haec morbi sunt symptomata:

Primum animal anorexia, prostratione vivium, tristi ac moesto habitu et tussicula laborat. Deinde leves motus febriles apparent, narium membrana mucosa rubescit et mucum ex albido flavescentem ex utraque nare reddit; tum etiam glandulae lymphaticae pharyngis intumescunt, tumoremque conformant dolorificum, calidum et mobilem; at paulatim secretum huc usque corrodenti vi praeditum mitius mitiusque fit, et inter salubres crises tam cutis quam renum febris ac symptomata localia cedunt. Interdum aliter morbus decurrit: glandulae lymphaticae magis etiam intumescunt, febris vehementior fit, pulsus frequens [60], pabulorum cupiditas prorsus deest, respiratio aucta, intestinorum secretio suppressa et fere sublata. Narium secretum jam prius turbidum et spissum erat. Morbo huc progresso, non amplius sperandum est, fore ut glandularum tumores discutiantur, qui ita potius augentur, ut molem denique forment strumae similem, unde nonnulli autores [e. g. Rohlwess] morbum; struma [Kropf] dicunt. Adhinc glandnlae paulatim duritiem amittunt, emolliuntur et tandem abscedunt. Pure inde demisso et febrilia et localia symptomata mox evanescunt et animalia convalescunt; morbus summum per tres hebdomades perstat.

Quae duae adenitidis formae, cum exitu in resolutionem et suppurationem, cumque mitiore et vehementiore febre nomine „Adenitis benigna“ significantur.

Saepius vero morbus, febris praecipue, alia indole [putrida e. g.] imbuitur. Tum morbus neque in resolutionem, nec in suppurationem abire solet. Tem-

pus, intra quod morbus his dictis exitibus finiri solet, elapso, adenosi illi tumores neque ad unum nec ad alterum exitum vergunt, eorum calor potius et dolor cedit, ovarii fiunt, durissimi et torpidi ac laryngi valde apprimuntur. Narium membrana mucosa priorem catarrhalem et inflammatorium ruborem passim tantum retinet, ceterum pallida est, nec non narium secretum eximie immutatur, nunc enim viscidum, tenax et caseosum fit. Morbus, sic decurrens, benignitate jam destituitur et Adenitis maligna dicitur. Ejus plerumque exitus est malleus humidus, qui exitus certo praedici potest, cum et narium secretio et duri illi glandularum tumores ab altera nare et altero pharyngis latere decedunt et in altero tantum [sinistro sec. Rohlwess] remanent. Nunc Adenitis suspecta dicitur, quae aliquo tempore elapso in malleum humidum vertitur, qui haec profert symptomata:

In septo narium majora vel minora tubercula emergunt, quae, prius dura, paulatim emolliuntur, dehiscunt et ulcera linquunt, quae, etsi certissimum morbi signum, interdum tamen ad summum septum narium adeo sunt provecta, ut conspici nequeant; saepius in sinubus frontalibus solis inveniuntur. Effluit plerumque ex alterutra narium mucus albens aut viridis, tenax et viscidus, sanguine tinctus et odore foetido, ubique naribus adhaerens; insuper [ut pathognomonicum signum] tumores glandulosi duri, immobiles, ovati, strictissime alterutri pharyngis laryngisque lateri affixi. Ille mucus, mixtio ichoris hisce ulceribus secreti cum narium muco, ita corrodens aut jam a primordio est, aut postea fit, ut membranam mucosam, deinde cartilagines et tum denique ipsa ossa aggrediatur. Inde

caries et necrosis oriuntur, quibus singulae ossis nasalis particulae solvuntur. Nunc respiratio plus minus est sublata, et animalia magno cum labore anhelant, ut illa impedimenta amoveant. Secreta narium magis turbida in dies fiunt et saepius particulis osseis intermixta inveniuntur. Ipsa ulcera ex parte cicatricibus obducuntur et subalbidas maculas linquunt, ex altera autem parte nova in aliis hujus tractus mucosi partibus oriuntur, quae plerumque magis centrum quam peripheriam petunt, et cum celeriter jam morbi initio animal succumbit [mall. hum. acutus], fungosa et prominentia sunt, et totam alterutram narium cavitatem ad exitum usque obtinent; saepius vero animalia non tam rapide morbo succumbunt, sed paulatim cachexia evolvitur; spiritus quidem odor haud tolerabilis; etiam cutis glandulae lymphaticae morbi participes fiunt, intumescunt, crassescuntque; jam malleus farciminosus [Wurm] accedit; totum denique corpus oedemate intumescit, et inter febris hecticae symptomata animal miserum et tabe absumptum intra menses vel annos moritur.

SECTIO.

Animali malleo laborante per omnia haec stadia ad mortem deducto, praeter mallei farciminosi symptomata, quorum posthac mentio fiet, tabis etiam et cachexiae criteria inveniuntur; putredo cita, adipis inopia, depravatio sanguinis etc. Quae tamen ad malleum humidum, ut singularem dyscrasiam, pertinent symptomata, praecipue quo dyscrasia tendebat, sunt quaerenda. In marginibus alterutrius narium vestigia videntur secreti, in crustas mutati. Narium membrana

mucosa denudata et usque ad sinus cavo cranii obversos investigata pallida, gilva, partim laxa et passim rosa et partim tuberculis, partim ulceribus, partim etiam cicatricibus obtecta apparet. Morbo magis progresso, partes cartilaginosae, immo etiam ossa, tum carie tum necrosi deleta inveniuntur, et nonnullae necroticae illius partes aut prorsus solutae, aut parum adhaerentes. Membrana mucosa, usque ad tracheam investigata, saepe non minus ulcerata videtur; pulmonum aut superficies ulculculis, aut parenchyma majoribus ulceribus obtecta sunt. Cum vero animal celeriter morbo succubuit, aut jam initio morbi interficiebatur, has duras nasi partes integras invenies; etiam pulmo aut parum aut nihil laesus est, sed praeter tubercula, quae in membrana mucosa emerserunt, in sinubus frontalibus et maxillaribus liquor purulentus, viscidus et in majori etiam morbi gradu turbidus coagulatusque obvenit. Semper pharyngis glandulae lymphaticae durae, hypertrophicae, adhaerentes, ut in animali vivo, exstant. Minus constantia cetera sunt symptomata, quae interdum prorsus desunt, quibus adnumeranda sunt:

Intumescentia glandularum inguinalium et axillarium, symptoma quidem ad malleum farciminosum, saepius accedentem, referendum, pallor organorum abdominis, intumescentia glandularum mesaraïcarum etc.

b. Hominum.

Operam dedi, ut ex historiis morbi, quas Cel. Wolff ac Cel. Hertwig*) proferunt, veram hujus

*) Med. Zeitung für Heilkunde in Preussen. 3. und 4. Jahrgang.

morbi notionem animo conciperem, et haec colligi posse credo. In universum morbi translati gradus pro gradu primigenii et individui infecti constitutione varius est, et eo perniciosior morbus homini erit, et eo pejorem prognosin admittet, quo magis malleus humidus primigenius provectus erat et quo debilior infecti individui constitutio est; morbi translati, penitus evoluti, mors fere semper exitus est, minores tantum morbi gradus apta medendi ratione devinci possunt. Haec exstant morbi symptomata:

Paucis diebus post infectionem contagio malleoideo factam capitis et membrorum vehementes dolores, frigus et calor, anorexia, sitis, pulsus frequens et febrilis etc. apparent, quae quidem symptomata febris rheumaticae valde similia sunt; pars vulnerata, per quam infectio facta est, aut nihil mutatur, aut tam leviter, ut suspicio contagii non moveatur. In quo prodromorum stadio infectus aut per longius aut per brevius tempus, intra duos dies ad tres hebdomades versari potest; plerumque tamen, ut Wolff observabat, decem dies perstat. Inter hoc stadium valetudo interdum tam parum fracta est, ut infecti, praecipue cum ad operarios pertinent, muneribus adhuc fungantur; rubor modo erysipelatosus, modo etiam strictissime circumscriptus assurgens, in centro potissimum valde saturatus, more furunculi apparet, quasi abscessus criticus rheumaticus se formaturus esset. Abhinc etiam febris increscit, et morbus, ut specificus et singularis, rapide procedit. Inde ab hoc infectionis loco inflammatio per superficialia et profundiora vasa lymphatica profertur; ita ut aut jam nunc omnes adjacentes molliores partes intumescentiae inflammatoriae par-

ticipes fiant, aut prius illa inflammata superficialia vasa ut lineae purpureae, latitudine lineae, sejunctae tumescentibus et inde prominentibus glandulis lymphaticis, appareant. Hae partes valde dolent et ne levissimum quidem tactum sustinere possunt. Affectionibus localibus progressis, febris quoque accrescit, pulsus major, plenior et frequentior fit, respiratio acceleratior, sitis, frigus et calor augentur. Quae omnia symptomata vespertino tempore exacerbantur, somnus inquietus fit, interdum deliriis furibundis interpellatur. Mox in hisce partibus tumescentibus et inflammatis singuli etiam tumores assurgunt, qui brevi aut abscedunt, aut cum inflammationis permagnus fuerit gradus, gangraenosi fiunt. [Nunc saepe inter hos tumores magna copia pustularum phlyzazicarum, bonum pus continentium, provenit.] Qui exitus si nuntiantur, et quidem in suppurationem tumoris torpore ac livido colore, sensu etiam fluctuationis, in gangraenam pustula assurgente, fuscum ichorem continente, febris paulatim immutatur. Sthenica eo usque morbum comitata, abhinc torpida et nervosa fit; pulsus parvus, inanis et multo frequentior; aegrotus se erigere non potest, comate somnolento premitur et in deliria mussitantia incidit. Tumoribus incisis, bonum pus effluit. Eodem modo abscessus in parietibus vasorum lymphaticorum profundiorum formantur, quorum pus plerumque in musculorum parenchyma defluit, ubi post mortem inveniri potest. Abhinc inflammatio magis magisque per totum systema vasorum cutis lymphaticorum profertur, ita ut illi tumores sub finem morbi in omnibus fere corporis partibus videantur. Malleo ad hoc stadium provecto, liquor malleoideus saepius ex alterutra na-

rium emittitur, id quod certum est signum, vasa quoque lymphatica superficiei corporis internae morbi participia, nec amplius morbum esse localem. Jam totum organismum morbo correptum esse evidenter apparet, quae est sequela inevitabilis systematis lymphatici aegrotantis, integro individuo tam necessarii. Aegrotus lentus et abjectus procumbit; coma somnolentum non amplius cedit; collapsus maxime auctus, cutis pallida laxaque, lingua sicca et indumento fuliginoso obtecta. Sudor denique gelidus et foetidus prorumpit, jam subsultus tendinum et carphologia apparent; pulsus evanescit, et mors solitus morbi eventus, scenae denique longiore vel breviore tempore, plerumque 17 — 18 diebus, rarius compluribus mensibus elapsis [7. exemple, quod Hertwig nobis profert a 20. Aug. ad 19. Octob.] finem imponit. Rarius tantum et e prioribus quidem levioribus gradibus morbus in sanitatem redit, tum cutis organum aucta secretione salubrem adducit crisin; tumores sensim sensimque evanescunt, pustulae corrugantur et crustas conformant, quae mox decidunt. At paulatim tantum aegrotus sanitatem recuperat, et longiore tempore [½ — 1 anno] elapso in pristinum statum integrum restituitur.

SECTIO.

Talia nobis monstant symptomata, qui malleo humido succubuerunt homines:

Tumoribus illis incisis, pro gradu evolutionis major vel minor puris copia invenitur, cujus caverna parenchymate musculorum constituitur, ita ut pus ipsis musculis contineatur [vid. supr.] Substantia muscularis recens et, uti sana, rubra; primaria vero hujus morbi

symptomata in cadavere ea sunt, quae in narium membrana mucosa, quaeque eam sequitur versus cranium et pulmones, obveniunt. Haec enim pallida et laxa est, iisque tuberculis obtecta, quae primarii mallei humidi symptomatibus adnumeranda diximus. Morbo magis progresso, haec jam in ulcera immutata inveniuntur, illumque ichorem secernentia, quem, ut ad hominum mallei humidi maximum gradum accedentem, jam descripsimus. Similes et pro morbi vario gradu variae mutationes in membrana mucosa quoque tracheae et pulmonum inveniuntur, ut interdum in ipsis pulmonibus aut tubercula, aut jam vomicae adsint. Quae reliqua in cadavere inveniantur symptomata, ut languor cordis musculi, sanguis dissolutus etc., nequaquam primaria, nec propria sunt huic specifico morbo, sed cachexiam in universum significant, quae morbum lymphaticorum vasorum, nutritioni organismi tam necesariorum, sequeretur necesse fuit.

c. Comparatio inter equorum et hominum malleum humidum.

Utroque morbo, quantum potui, descripto, haud difficile erit, quae exstant inter eos dissimilia, invenire:

Externa mallei equornm signa primo in vasis lymphaticis certae partis superficiei internae proveniunt et symptomatica sunt; hominis autem in superficie externa evadunt et idiopathica sunt. Haec [equorum] symptomata dyscrasiae, morbi in intimo organismo elaborati, constituunt; non sunt ejus causa proxima, neque natura, sed tantum forma quaedam, sub qua intus provenit, quae tamen externa symptomata malleus hominum nobis offert, ejus naturam et causam proximam

constituunt, et totam ejus imaginem repraesentant. In equorum malleo humido vasa lymphatica sunt id organum, quo morbus in intimo corpore praeparatus, spectat et rejicitur; in hominum malleo autem haec ipsa vasa vim illam nocivam foris advectam [contagium] in se excipiunt et resorbent, ideoque sibimetipsis perniciem inducunt. In equorum malleo humido porro dyscratica signa interna causae sunt protopathicae, externa vero vasorum lymphaticorum in organorum respirationis tractu mucoso hujusque ipsius membranae, causae sunt deuteropathicae et secundariae; in hominum autem malleo externa symptomata vasorum lymphaticorum protopathica sunt morbi signa et quae omnia inde sequantur, potissimum functione horum organorum, vitae tam necessariorum, laesa efficiuntur. Itaque malleus equorum primigenius morbus ab interioribus prodiens, hominum vero morbus foris invadens est.

III. DE CACHEXIA LYMPHATICA FARCIMINOSA (Wurm, Hautwurm).

Libri conferendi:

Frenzl. Praktisches Handbuch der Thierheilkunde.
Hurel. Abhandlung über Wurm. Breslau.
Veith. Handbuch der Veterinärheilkunde.
Rohlwess. Das Ganze der Thierheilkunde.
Körber. Ueber die Seuchen der Hausthiere.

A. Contagium et ratio inficiendi

Hujus morbi et contagii et symptomatum descriptionem illius descriptioni, quam exponere jam cona-

tus sum, adjungo, quod hic morbus ad illum re vera pertinet, quod uterque morbus iisdem externis internisque causis concurrentibus gignitur (ea tamen differentia, ut primigenia cachexia lymphatica faciminosa non directe e scrophula (Druse), qua malleus humidus, prodeat cujus morbi causa vasis lymphaticis corporis humani superficiei internae propius adducta est), et idem contagium paribus sub conditionibus et pari indole oritur, idem animalium genus aggreditur, eodem modo propagatur, in idem systema organicum spectat, et prae omnibus, quod utriusque morbi contagium modo unum modo alterum morbum in homine provocat, prout huic vel illi ad morbum procreandum aptae corporis parti admoveatur; nam localis sola inter utrumque morbum exstat distinctio. Uterque itaque morbus in vasorum lymphaticorum systema spectat; malleus autem in vasa lymphatica superficiei internae (membranae mucosae), et cachexia lymphatica in systema lymphaticum superficiei corporis externae (cutis). Ex hac distinctione sequitur, cachexiae lymphaticae contagium affectione locali contineri, sicuti mallei humidi malleoida narium materie. Inter morbi enim decursum, exsudatione, inflammationem secuta, vasorrum lymphaticorum parietes crasscscunt, eorumque nonnullae partes nodorum instar intumescunt, dein emolliuntur, abscedunt, dehiscunt et ulcera linquunt, quorum ichor praecipue contagium continet. Praeterea contagium iisdem secretis inhaeret, quibus mallei. Contagium mallei humidi, in epidermidem delatum, in animalibus, quibus est conditio, qua inficiantur, cachexiam lymphaticam procreat, et cachexiae lymphaticae contagium in narium membranam mucosam delatum malleum humidum efficit,

quae res experimentis circa animalia factis satis stabilita est. Ad cachexiam lymphaticam saepius inter decursum malleus humidus, sicuti ad hunc morbum illa accedit; quae quidem complicatio e sympathia, quae inter singulas systematis lymphatici partes exstat, elucet. Et hic morbus hereditarius esse potest. Cum omnia de mallei humidi contagio dicta ad contagium quoque cachexiae lymphaticae referri possint, praecipue quod attinet ad facultatem homines inficiendi, non singulatim de eo disseram, sed sat erit repetere, ambos morbos, affectione locali excepta, ejusdem esse indolis.

B. Cachexiae lymphaticae farciminosae symptomata.

a. Equorum.

Eadem dyscrasia, quae, ad vasa lymphatica et glandulas lymphaticas membranae mucosae organorum respirationis rejecta, malleum humidum effecit, e quibusdam causis ignotis ad cutis quoque systema lymphaticum rejici potest. Tum malleus farciminosus morbus dicitur.

Malleus faciminosus est igitur: morbus equorum dyscraticus, ad cutis systema lymphaticum rejectus, et primum inflammationis, deide tuberculorum, tum ulcerum, specificum ichorem secernentium, formam praebens.

Eādem, ut jam dictum, causa proxima, qua malleus humidus, et hic morbus efficitur. Ambos morbos locis solis differri, e contagii identitate jam elucet, quod vicissim utrumque procreare potest. Cum vero saepius contagio occasio oblata sit in externam corporis superficiem transeundi, quam in superficiem mucosam, eodem translato in animali prius plerum-

que et in homine semper malleum farciminosum ap-apparere videmus. Morbi, quem nunc descripturi sumus, haec exstant symptomata:

Primo equi moesti fiunt, alacritate et partem appetentia carent; caput demittitur, oculi languidi et lacrymantes, pulsus ac respiratio frequens. Inter quos mitiores motus febriles, inflammatio vasorum cutis lymphaticorum, ad quae forte morbus internus, chronicis aliis morbis provocatus, rejicitur, tam lente decurrit, ut ex eventu tantum mox sequente, eque symptomatibus, quae alia ex parte procreat, noscatur. Nam tum plerumque febris decrescit, ubique corporis intumescentiae oedematosae assurgunt, et striae, tumores et tubercula illa apparent, quae pathognomonice huncce morbum significant et lentam illam et subacute decurrentem inflammationem vasorum lymphaticorum sequuntur. Nam inter morbi decursum eorum parietes paulatim crassescunt et passim tantopere intumescunt, ut e cute prominentes lineae margaritarum speciem praebeant, qui tumores modo magis discreti, modo propinqui magis exstant, interdum passim disseminati; super hisce aegrotis locis pili eriguntur. Hi tumores, inflammatione, lentissime plerumque decurrente orti, aut nunquam, aut tantum in principio dolorifici sunt, duri et variae magnitudinis, ad nucis avellanae usque, rotundi, centro prominentes, et saepius pomis dimidiatis similes. Nec in principio cutem, qua teguntur, immutant. Horum tumorum sedem omnes corporis partes praebere possunt, primariam autem exhibent collum, venter, crus internum, praeterea etiam caput, labia et ubera. Postquam autem per complures hebdomades in hoc statu perservarunt, cutis, qua teguntur, colorem

mutant; haec livido colore imbuitur et tubercula e centro emolliuntur, dehiscunt et ulcera formant rotunda, profundas partes magis quam periphericas petentia, marginibus incurvatis callosisque, specificum illum tenuem, subflavum, viscidum et maxime corrosivum ichorem secernentia, qui, quocunque defluit, pilos delet et primarius contagii hujus morbi portator est. Quae ulcera, quo propius membranae mucosae narium adjacent, aut quo facilius ad eum capitis motibus adduci possunt (ut in pedibus, cruribus etc. sedentia) eo potius, ut malleus humidus ad hunc per se jam perniciosum ac lethiferum morbum accedat, efficiunt. Rarius, ulceribus jam exortis, morbus in sanitatem redit, quod si fit, ichor in bonum pus paulatim immutatur, ulcera cicatricibus obducuntur, nec denuo nova oriuntur; animal alacrius in dies fit et denique sanitatem recuperat. Multo saepius, morbo illum gradum nacto, febris in asthenicam et torpidam immutata prodit; posthac ulcera magis magisque confluunt, st animalia paulatim macrescunt; quaecunque corporis partes tuberculis et inde ulceribus carent, oedemate intumescunt; ad hunc morbi gradum fere semper malleus humidus accedit; febris putrida ac perniciosa morbum comitatur, colliquationis signa procedunt, et animal morbo, mensibus vel annis elapsis, prout organismi vis vitalis morbi impetui diutius vel brevius tempus resistere possit, succumbit.

Sectio.

Cadavera animalium, quae huic morbo succubuerunt, macilenta sunt et celerrime putrescunt; cute, strias et tuberculosos tumores obtegente, incisa manifestum fit, illos (tumores) parietibus vasorum lympha-

ticorum insidere; eorumque volumen minuere; in ipsis tuberculis, prout stadium emollitionis magis vel minus appropinquaverit, major vel minor copia fusci, viscidi, saniosi liquoris invenitur; quae lympha aegrotis vasis lymphaticis inest, abnormis et alienata est. In aegrotorum vasorum lymphaticorum decursu, et nonnunquam plus minusve totius corporis, praecipue mesenterii glandulae lymphaticae hypertrophicae et durae occurrunt. Huc, morbo penitus evoluto, et mallei humidi symptomata, jam supra descripta, accedunt. Omnia reliqua cadaveris symptomata, cachexiam tabemque in universum significant, nec ad cachexiam lymphaticam farciminosam, specificam nempe dyscrasiam, singulatim referri queunt.

b. Hominum cachexia lymph, et equorum comparata.

Mallei farciminosi contagio in hominem opportune translato, iidem prodromi eundem morbum introducunt, quem mallei humidi contagio procreatum describere conatus sum, quae res denuo utriusque contagii identitatem argumentatur. Neque minus de comparatione primigenii mallei humidi cum hominum acquisito quae dixi ratione tamen localis distinctionis in utroque animalium morbo primigenio haud neglecta, ad huncce morbum sunt referenda, quare non interest, ut cachexiam farciminosam in homines translatam describem et hanc cum equorum primigenia comparem.

VITA.

Ego Ephraimus Wald, die xi. Mens. Novembris anni hujus saeculi xii. Teutocronae, occidentalis Borussiae oppidulo natus sum, patre Arminio, matre Bertha e gente Croner, quibus adhuc vivis gaudeo Deumque, ut quam diutissime mihi servet, precor; Judaicam fidem profiteor. Puerulus una cum parentibus, domicilio mutato, Sedinum Pomeraniae veni. Primis literarum elementis scholis privatis imbutus, xv. annos natus in quartam classem Gymnasii sedinensis ab Ill. Hasselbach, t. t. Directore, receptns sum. Per septem ibi annos moratus, anno hujus saeculi xxxiv. tempore autumnali, testimonio maturitatis munitus, Berolinum me contuli, ubi ab Ill. Steffens, t. t. Rectore Magnifico, in civium academicorum numerum receptus, apud Ill. Busch, t. t. Decanum ordinis medici, nomen rite professus sum. Per biennium et semestre hic commoratus, hisce interfui lectionibus. De osteologia et de ligamentis et aponeurosibus Ill. Schlemm audivi disserentem. Anatomiam et generalem et specialem, nec non cerebri et sensuum organorum, et Physiologiam Ill. Mueller me edocuit. Idem una cum Ill. Schlemm dux mihi erat in arte cadavera rite secandi. In Botanicen Ill. Kunth me introduxit, Chemiae et Physices Ill. Mitscherlich mihi erat praeceptor; Logices et Metaphysices quicquid adeptus sum Ill. ab Henning debeo. Pathologiam et Therapiam specialem Ill. Hecker et Ill. Horn mihi illustraverunt. In Chirurgia Ill. Rust praeceptore gavisus sum. Scholis clinicis interfui chirurgicis Ill. Rust, medicis Cel. Wolff, paediatricis Cel. Barez, singulis auscultando per semestre.

Deinde tempore paschali anni hujus seculi xxxvii. Berolino relicto, almam universitatem Halensem adii, ibique ab Ill. Gerlach, t. t. Rectore, in academicorum civium numerum receptus, apud Ill. Krukenberg, t. t. gratiosi medicorum ordinis Decanum, nomen rite

professus sum. Ibi per annum interfui practicando scholis clinicis medicis Ill. Krukenberg, et chirurgicis et ophthalmiatricis Jll. Blasii; praeterea Akiurgiam et theoreticam et practicam Ill. Blasii me docuit, et iterum in arte cadavera rite secandi Ill. D'Alton dux mihi erat.

Anno praeterito, Berolinum redux, ab Ill. Boekh t. t. Rectore receptus, ab Ill. Wagner t. t. Decano in medicorum album inscriptus sum. Hic hisce practicando interfui scholis clinicis; medicis Cel. Wolff per semestre, medico-chirurgicis Cel. Trüstedt per semestre, obstetriciis Cel. Kluge per annum dimidium.

Quibus omnibus praeceptoribus meritissimis quas possum maximas habeo gratias, semperque habebo.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico coram amplissima philosophorum facultate, quam medico et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore ut, dissertatione thesibusque defensis, summi in medicina et chirurgia honores rite in me conferantur.

THESES.

1. Quae contagia febrem, seu motus febriles in corpore infecto excitare possunt, sola natura sanat per hanc febrem, quae illud non possunt, medicus specificis curet.
2. Febres et convulsiones crises sunt, hae in morbis organorum vegetationis, illae in morbis organorum animalium.
3. Morbum mere dynamicum nego.
4. Lux et color nonnisi in nervo optico exsistunt, itaque:
5. Cataractosus coecus, quia imago deest, amauroticus vero, quia lux.
6. Horizontem, non quia rotundus est, sed e pupillae nostrae structura formaque rotundum nobis videri, contendo.